



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digres. 20. Aduersus Simplicium de sola intellectione intellectus potestate  
hæc accipientem, ad tex. com. 72.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

reducitur ab obiecto externo; intellectus à seipso, aut certe ab intellectu agente; qui aut cum patiente idè re est, aut certè eiusdè animæ pars & facultas.

Tres passio- nis gra- dus.

Itaque tres quasi passionis gradus constituit. Primus tū in corporibus cæteris, que sūt sub luna; tū in sc̄lus organo cernitur. Alter in sēsu ipso. Tertius in intellectu. Primus corruptens est, & propriè dictus. Alter perficiens duntaxat per se; sed priori quoquo modo similis, quatenus propter organum adiunctam habet corruptionem. Postremus huic alteri utrumque similis, non tam passio, quàm eiusmodi quidpiam nominatur; hoc est eatenus passioni simile, quatenus immaterialis prorsus & incorporea actio corruptione omni carens materiali & corporeæ similis dici potest.

Digressio XX. Aduersus Simplicium de sola intellectu intellectus potestate hæc accipientem.

Am verò cum hæc Simplicius ait de sola intellectu intellectus, qui potestate vocatur, intelligenda esse; nõ de intellectu habitu, aut actu: & idè hypotheticam illam loquutionem (si intelligere est velut sentire) ita interpretatur; si intelligere illud consideretur, quod est velut sentire; quod quidem est intellectus potestate, quem is solas accidentium formas ait cognoscere. Nimirum vt eodem ordine has intellectus differentias Philosophus prosequatur, quo de cæteris animæ facultatibus dicere aggressus fuerat; ab imperfectioribus inquam ad perfectiora; ab intellectu potestate ad eū, qui actu existit; promouendo per intellectum habitu, quo substantialis notiones & formas comprehendat. Ego quidem certè non omni ex parte assentior.

Primum, quod intellectum potestate, & habitu non benè accipit; eum enim, quem Aristoteles omnibus formis carentem facit, accidentium formis ornatum dicit; & eum, quem singula factum mox trader, solis substantiarum formis constare asserit. Deinde quoniam est intellectui potestate præcipue conueniant: tum quod is maximè sensui similis sit, dum solam animæ facultatem significat, quæ ad operandum est potestate. Tum quod in hoc primo tractationis ingressu, quo de intellectu absolute queritur, vt intellectu inde natura cognoscatur; de illa præsertim intellectu dicendū erat, quæ intelligentis facultatis absolute consideratæ & vt ab anima proficiscitur, operatio est. Hęc. n. ad intellectus naturam ostendendam opportuna erat. Credendum tamen non est de intellectu intellectu potestate agi, quatenus potestate est; ab eo, qui habitu, & actu dicitur, diuersus; sed de intellectu absolute, vt intellectus est, operatione. Hoc etenim queritur, hoc que agendū erat. Quoniam verò intellectu absolute, & sincerè consideratus, antequam habitu, aut actu vllò aduentio imbua- tur, potestate est; hic ipse intellectus potestate vocatur, quæque de intellectu absolute dicuntur, primum & maximè conueniunt ei, qui potestate appellatur. Eadem tamen ipsa intellectu quoque, qui habitu, aut actu consideratur, quoquo modo conueniunt, voluitque Philosophus conuenire. Etenim dum de intellectu generaliter disputatur, atque vniuersè queritur, quo modo fiat; generaliter item & vniuersè respondenda sunt ea, quæ intellectu omni conueniunt. Alioqui si ea respondeas, quæ vni tantum speciei propria sint, ineptè respondebis. Non solum autè intelligere potest intellectus po-

testate; sed is quoque, qui habitu consideratur; id verò, qui habitu re ipsa operatur, & intelligit: quæ enim alia sit intellectus operatio, quàm intellectus? Deinde in tex. 55. & 56. li. 2. an non intellectus Grammaticæ, aut scientiarum habitibus præditus intellectus est potestate esse ad actum secundum operationem non minus, quàm intellectus potestate ad habitum ipsum suscipiendum? Nonne sensum eodem modo legimus homini Grammaticæ, aut cuiusvis scientiæ habitu prædito, hoc est intellectu habitu esse per se similem? Sanè eo in loco potestatem duplicem interpretes omnes agnoscunt. Vnam primam, & operati- sentialem, & remotam; quæ est ad formam operandi principium. Alteram secundam, accidentariam, & propinquam; ad operationem; quæ ab obtenta forma proficisci potest. Sensumque cum Aristotele inquit non prima, sed altera potestate ad sententiam esse; velut intellectum non nudum, sed scientiæ instructum habitu.

Ita ipsomet Aristotele interprete habebimus comparationem sensus, & intellectus hoc loco propositam intellectu tum potestate tum habitu conuenire. Nam si vbi que potestas est, suscipio, & passio esse potest; horum uterque potestate est. Alter ad habitum & actum, & idè absolute potestate dicitur, quia præter actum suæ naturæ nullum alium aduentitium habet. Alter ad actum, qui ab habitu promi potest. Uterque intelligere valet, ut habitum sibi comparet; hic, vt comparato fruatur. Magis que hic, quàm ille, sensui similis est; qui non habitu querit, sed habitum vsum. At eum vtique intellectu eam, ad quam est potestate, suscipit, patitur nimirum velut sensus. Rursus intellectus, qui est actu, non modo ad intellectu eam aliam promendam potestate est (hoc. n. ad habitum potius pertinere videtur) verum etiam ad illam ipsam, quam promit. Nam idè illam suscipit, suscipiendo que patitur. Sed in hoc est potestas conuenientia cum actu; in aliis ab actu separata. In hoc potestas est sine priuatione, in cæteris cum priuatione adiuncta. Certè potestatem eiusmodi Græci omnes interpretes exponunt, & in superioris Textus commentario adducit Simplicius, eum animam dicitur esse actus corporis potestate vitam habentis, esse re ipsa & actu viuat.

Quod si intellectum habitu sensui simile non esse idem ipse Simplicius obicit; quoniam is intelligere potest seipsum; & licet obiectum præsens non sit, operari ex se ipso: eum sensus nec in seipso se conuertat, nec nisi præsentibus sensibus sentiat, intellectu autè actu post appellari improprie, separabile, & substantia actus; & idè pati nõ posse. Nullo negotio diluuntur obiectiones. Etenim non omni ex parte intellectu voluit Philosophus sensui simile esse. Sed in eo solum, quod ambæ facultates animæ cognoscetes sunt, ambæ potestate ad reu cognoscendas formas suscipiendas, ambæ agendi, patiendique facultates; quæ scilicet operando quoquo modo patiantur. Cætera dissimilia penitus sunt, & quædã etiã contraria. Neque. n. ex eodem natura deriuantur, quæ cognoscetes facultates ambæ sunt; vnde similitudo petitur. Sed ex diuersa, & propria speciei differentia; quæ sensus materialis est & corporeus; intellectus immaterialis, incorporeus & substantia abstractus; ille organo in corporeo vti- tur; hic nequaquã. Inde. n. est, quod sensus veram & propriam passionem habet in organo, intellectus nullam. Sensus à vehementi sensu corrumpitur, intelle-

Actus à vehementi intellectili confirmatur. Sensus nec seipsum, nec suam actionem nosse potest; intellectus potest. Et ideo sensus ab omni sensu diversus est, non ite ab omni intellectili intellectus. Sensus sensilium duntaxat est, præsentium, accidentium, & singularum rerum intellectus spiritalium quoque, incorporeorum, immaterialium, absentium, substantiarum, univertarumque naturarum. Sensus externum postulat obiectum, foris que existit sentiendi principium: Neque sentire potest animal quando vult, sed quando adest obiectum, à quo ad sentiendū moneatur: intellectus internum habet obiectum sibi præsens, siue à Phantasia subministratum, siue habitu contentum. Et ideo intelligendi principium interius continetur, possumusq; quādo cūque libuerit, intelligere.

Impatibilis autē dicitur intellectus, nō hac eadem passione, qua intelligere affirmatur esse pati, recipiēs solum, & perficiens, non corruppens: sed altero passionis genere vero & corruptente, quod in sensu cernitur, qui cum organo corporeo alligatus sit, eo patiente & corrupto vera & propria passione, patitur ipse quoque & extinguitur. Itaque duplici distincto passionis genere; alterū sensui & intellectui utrumque commune est; alterum solius sensus proprium. Altero intellectus intelligendo patitur, altero impatientis prorsus existit. Inde fit, ut is separabilis sit, non sensus. Nec solum intellectus actu, aut habitu; sed is, qui potestate dicitur; quem sensui similem fatetur Simplicius. Quippe eadem est illorum omnium intellectuum substantia & natura. Quorum vnus dicitur esse potestate, quatenus non operatur, sed operari potest; alter substantia actus, non quod sit solus actus, sed quod is consideretur, ut actu operatur: dum verò actum illum idem ipse suscipit, pati quodam modo affirmatur.

Quod autem attinet ad illa verba (si intelligere est velut sentire) nā illis vim adfert Simplicius, ut sententiam suam extorqueat. alisque plurimus in locis eundem loquendi modum observare potuisset, in quibus hypotetica loquutione proponitur id, quod in ratiocinationibus antecedentis aut propositionis vim habet, unde illud colligendum est; si hoc est, illud est; si homo est, animal est. Sic. n. nunc quasi antecedens, seu propositionem ponit; si intelligere est velut sentire; ut inde colligat intelligere esse pati. Et quoniam antecedens consequentis causam cōtinet, conditionalis illa particula vim causalis habebit; tantundēq; valebit, ac (quia); quia hoc est, illud est; quia homo est, animal est; quia intelligere est ut sentire, verē licet colligere intelligere esse quoquo modo pati.

Denique de procedendi modo sic habeto. Cū Philosophus ad intellectus differentias illas, seu multiplicitates explicandas descendet; ab imperfectioribus ad perfectiora, ab intellectu potestate ad eū, qui habitu, aut actu est, non multo post progredietur. Nunc non id agit: sed cōsentiente Simplicio in posteriori questione versatur, quomodo intellectio fiat; ea que vniversè tractatur. Quare tum à notioribus ad ignotiora, tū ab vniuersis & generalibus ad specialia procedit: Dum ab operatione ad essentiam, à sensione ad intellectionem, ab intellectione vniversè considerata ad specialis illius modos progredietur.

TEXTVS.

*Αναλλήσιμος δὲ αὐτὸς εἶναι δεκτικὸν τῶν εἰδησῶν καὶ διανοητικὸν τοῦ νοῦ, ἀλλὰ μὴ αὐτὸ καὶ ἐπινοητικὸν, ὡς αὖτε τὸ αἰσθητικὸν αἰσθῆσι τὰ αἰσθητὰ, καὶ τὸ νοῦν αἰσθῆσι τὰ νοητὰ.*

A *Impatibile igitur oportet esse. Susceptivum autem forme, Tex. 3. & potestate eiusmodi; at non hoc, similique modo habere, ut sensivum ad sensilia, sic intellectum ad intellectilia.*

COMMENTARIVS LXXIII.

**P**hilosophum hoc locum intellectum asserere impatientem esse, manifestum est. Sed quomodo asseratur, non item inter omnes conuenit. Præter Albertum videntur omnes deductionem quandam ex superiori contextu agnoscere. Sed ille quaestionem eam arbitratus fuisse antea in medium adductam, Nam intellectus sensui sit penitus similis; cōclusionem hanc post probandam nunc dixit constitui, intellectum impatientem esse. Verū hoc ex antecedenti commentario non ita esse cognoscitur.

**B** Inter ceteros de interpretatione Philoponi possit fortasse dubitari. Is in proximè antecedenti contextu nihil probatum fuisse opinatus, sed hypoteticam solum præmissam intellectus, & sensus comparationem (si intellectum dixeris esse similem sensui, aut is aliquid erit, quod ab intellectili patitur, & corruptitur; sicut sensus à sensili; aut aliquid aliud impatientem, quod perficiatur duntaxat, ledatur minimè): Philosophum ita inquit tanquā pronūtiata sententia impatientem eū esse affirmare. At. n. in prōptū est illi obicere. Si hoc ex hypotetica oratione, & quæ à quopiam solum proponeretur, nūc colligitur; hypotetica igitur & ad hominem duntaxat, non absoluta & vera sententia statuitur.

**C** Propterea verius eū dixeris absolutā antea orationē præmississe, qua intellectionē posuit passionē quandam esse, aut corruptentē, aut perficientē duntaxat & absoluentē. Argumento scilicet sensus, qui passionem quoque significat. Iā verò alterā propositionis illius partē eligere, atq; statuerē; intellectū impatientem esse ab obiecto vera & propria corporis passione; sed solum habere quidpiā passioni simile, dum intellectiles omnes formas suscipit. Neq; perturbet quēpiā particula (igitur) quasi ex antecedenti probatione aliquid colligatur. Etenim cōclusionē potius significat, quā probandā statuit atque ex præiacta diuisione eligit. Quod dū facit, nimirū genus & differentiam intellectus ponit. Genus eū sensui cōmune est, esse susceptivum forme. Differentia propria, impatientem esse & absque corporis passione suscipere. Quare ex operatione ad essentia progreditur; atq; ex intellectione, quā non corruptentem, sed perficientē passionē esse ait, intellectus naturā & essentia ratiocinatur: formatū quidē omnium capacē, ad easq; suscipiendas & ideo ad patiendū quoquo modo aptā; absolutē tamen & proprie loquendo, impatientem. Quoniam passio proprie illa dicitur, quæ corruppens est; non ea, quæ perfectionem solam adducit.

**E** Cū igitur in antecedenti sermone duo posuisset: alterū, intelligere esse veluti sentire; alterū, aut esse pati quoddā ab intellectili, aut aliud quēpiam eiusmodi; non in quā vera passio, qualis in sensu cernitur, si non per se, saltem ratione organi, sed aliquid aliud passioni simile; solā scilicet perficientē susceptionē, dū actu sit id, quod erat potestate. Ex priori accepit ut genus, eū esse formatū susceptivū, perindeq; se habere ad intellectilia, ac se habet sensus ad sensilia; & utraq; facultatē esse potestate, non actu, ea, que cognoscere ac suscipere potest. Quare ut antea, dum de sensu ageret, Empedoclis opinionē reiecit; cognoscens debere ex cognoscendis rebus constare; illū que ostendit nil esse actu eorū, quæ sentiuntur: ita nunc reiecit in intellectu; hunc ipsū ad intellectilia omnia

*Intelle-  
tus est  
passiva-  
tur  
& im-  
patientis  
est.*

*Proce-  
dendi  
modus*

*Intelle-  
tus ge-  
nus, &  
differen-  
tia.*

eodem modo se se habere demonstrans. Ex posteriori autem propriam intellectus differentiam eligit; eum ita susceptivum esse, ut suscipiendo non patiatur, sed perticiatur.

*Aristo-  
telis  
method.*

Itaque hoc ipso in loco ad illius quæstionis explicacionem accedere opinor Philosophum, quam velut præcipuam, & naturam intellectus continentem, principio proposuit; Quam differentiam habeat intellectus. Et quoniam ea duplex esse potest; essentialis vna, altera accidentaria; essentialem nunc prius exponit, accidentaria post, quæ ex hac essentiali originem habet, explicaturus. Vbi admirabilem Aristotelis artem ac methodum observabis. Qui in oblectivissima re, maximeque recòdita principium fecit ab operatione; atque ex intellectu intellectus naturam & differentiam essentialè inuestigavit. Eumque primùm constituit facultatem esse formarum rerum cognoscendarum susceptivam, veluti ad eas omnes potestatem. At quoniam generalis hæc differentia videbatur sensui quoque còmunis; duobus eam modis contraxit & specialem fecit. Primùm addendo (Impatibile) hoc est facultatem quidem esse suscipiendi, sed absque passione vlla proprie dicta; & ideo sine vlla læsione, & corruptione perfici. Quæ re ad sensum differt, qui cum susceptione & perfectione sibi propria passione organi habet admixtam, quæ in ipsis quoque læsionem atque interitum redundat. Deinde subiungendo, simili modo habere ut sensitivum ad sensilia sic intellectum ad intellectilia. Similem. n. non eundem, modum ostendit. In qua suscipiendi ac patendi similitudine, sensilium atque intellectilium formarum diversitas est. Nam neuter res ipsas suscipit velut exemplares, quas *επιτηδεύσις* appellat simpliciter; sed ambo rerum formas & exemplarium similitudines; sensiles sensus, intellectus intellectuales. Et ideo quemadmodum cum de sensu ageret, non semel dixit, sentiendis rebus carere sensum debere, ut eas possit suscipere; aspectum colore, auditum sono, & aliorum vnumquemque sensili suo obiecto. ita nunc ex eo, quòd intellectilium formarum susceptivus est intellectus, cum colligit non actu, sed potestate res intelligendas esse debere.

Non enim accipiendi sunt illa verba (At non hoc) ut Averroës, & Albertus acceperunt; intellectum suscipere quidem formas, ut suscipit sensus; at non esse corpus, neque virtutem in corpore, ut est sensus. Sed potius non esse actu quidquam eorum, quæ intelligit; nec insitam vllam eorum formam actu habere. Tum quia hoc opponitur ei, quòd dixerat, esse potestate eiusmodi: potestati autem opponitur actus; ut ei, quòd est potestate, id, quòd est actu. Tum quia ex sensu ad intellectus naturam inuestigandam ratiocinatur: de sensu autem hoc idem antea dixerat, eum ad sensilia omnia potestate esse, nullumque eorum habere actu, ut omnia sentire possit. Tam demum quia hoc erat necessarium dicere ad ostendendam intellectus naturam, & potestatem. Et ideo statim deducit, ita se habere intellectum ad intellectuales formas, ut ad sensiles se habet sensus; hoc est potestate ad omnes, actu nullam. Intellectum autem non esse corpus, neque corpoream virtutem, còsequenti magis contextu exponitur.

*Intelle-  
ctus me-  
ra po-  
testas  
non est.*

Quòd si ex his verbis Alexandèr colligat, intellectum, qui potestate dicitur, nullam formam, rem ite actu significare, sed meram, ac sinceram ad omnia potestatem: iure optimo fuit à Philopono reprehensus.

**A** Habet. n. formam quandam, seu potius formam quandam est ipse; qualitas scilicet quæpiam, quæ rationalis animæ facultas est; sicut & sensus. Sed formam, quam cognoscit, non habet actu, sed potestate. Potest sanè intelligere se ipsum. At ut in exterioribus intelligendis non eas, sed earum formas, hoc est cognitiones, suscipit (quippe non lapidem, hoc est cognitionem lapidis formam esse in anima, docetem post Philosophum audies) sic in intelligendo se ipso non se ipsum, sed sui formam, & cognitionem suscipit, atque ad eam est potestate; cum privatione quidem antequam intelligat; sine privatione autem, cum actu cognoscit. Neque Philosophus intellectum esse actu formam simpliciter, sed formam tantum, ad quam est potestate; nempe intellectilem formam.

**B** Eo verò libètius vus est sensu ad declarandum, quomodo intellectus ad intellectilia se habeat; quòd eo vus esset ad explicandam operationem, quid sit intellectio, & quomodo fiat. Quippe vt ex intellectu progressus est ad intellectum, sic idè exemplum ad intellectiam declarandam velut aptissimum, traducendum sibi esse putavit. Quòd tamen non ad id pertinet, quòd intellectum impatibile dixit; sed ad id solum, quòd susceptivum formarum, & potestate ad illas, non actu, affirmavit. Passionis namque, & impatibilitatis differentiam in superiori ià textu significauerat: solaque in potestate ad formas & earum vacuitate similitudo est. Tamen si maior adhuc in intellectu, quàm in sensu vacuitas. Si quidem tactus parte quadam sui obiecti constat; vt in tex. 118. lib. 2. dictum est.

**C** Si totam igitur huius loci sententiam colligas, intellectum dices intellectilium formarum susceptivum esse sine passione. Hæc est intellectus natura, hæc essentialis differentia. Cui si animæ facultatè veluti genus addideris, definitionem ab solueris; intellectus est animæ intelligentis facultas, intellectilium formarum sine passione susceptivus.

**D** At. n. Simpliciter, ut antea de sola intellectu potestate intellectu actu esse dixit: ita hic de solo intellectu sermone esse opinatus, impatibile illi appellari ait, non quòd pati nequeat; sed quòd nòdum passus sit, nec dū intellectilium rerum formas suscipere susceptivum autè & passivum, quòd suscipere paratus sit. Qualis est imperitorum hominum intellectus, qui est accidentia quædam rerum notit; substantiales tamè earum rationes non tenet, sed ad illas est potestate. Hæc n. substantiales rationes interpretatur is, cum intellectus formarum susceptivus dicitur.

**E** Verùm neutra huius interpretationis pars probanda est. Quoniam intellectus differentia, & natura absolute & uniuersè quaeritur, ut intellectus est; siue imperitorum hominum sit, siue apprimè scientiæ & eruditiorum; siue accidentia cognoscat, siue substantiales rerum rationes possideat. Nā hæc intellectui, vt intellectus est, accidentaria sunt & extrinseca. Hunc morem seu tabellam esse tradit Philosophus, in qua nihil est scriptum, nec accidentium, nec substantiarum. Ac rursum postea, non res ipsas, sed earum formas, hoc est cognitiones, in anima suscipi. Nò minus autè accidentium, quàm substantiarum, cognitiones suscipiuntur; nec ad illas minus, quàm ad has, intellectus est potestate. Vt quoque scilicet genere sua natura spoliatus & immotus. Exèplo primæ materiæ, tū ad accidentium, tū ad substantiarum veras formas comparatæ. Si quidem vt hæc ad reales & in natura existentes; sic intellectus ad cognitionum formas se habet. Illa realibus

realibus, hic cognitio omnibus sua natura carens atque ad omnes potestates. Imperitorum autem hominum intellectus accidentium formis instructus, non minus puram & sinceram intellectus naturam refert, quam prima materia referat ea, quae qualitibus & accidentibus imbuta iam fuerit. Ut igitur de intellectu vniuersa, ut intellectio est, pluribus verbis loquutus est Philosophus, ita posterioribus hinc puram atque aduentitia omni formam intellectus naturam ex operatione illa deductam nobis proposuit: eamque intellectum omnium formarum, siue accidentium, siue substantialium, siue accidentalium, siue substantialium, absque laedente passione susceptibilem. Sic enim & ipsissimam eius differentiam essentialem ac naturam demonstrat, & capacitatem ac potestatem totam indicat. Ac demum incompatibilitatem ostendit formarum omnium susceptione, vel etiam accidentium, a quibus alioqui tum in sensu, tum in ceteris omnibus laeso ac passio solet proficisci.

Addam ad huius loci planiorem intelligentiam, Simplici que certiore confutationem id, quod in tex. 65. & 66. lib. 1. traditum est. Nam cum eadem utrobique sententia contineatur, ibi obiter, & quasi carptim, hic ex instituto & ut in proprio loco, alter locus ex altero manifestior euadet. Ibi autem tum de intellectu nostro absolute & secundum suam naturam vniuersae differens, tum eandem intellectus & sensus comparationem faciens, intellectum ostendit innasci nobis velut substantiam quandam existentem, & non corrupti: & licet alio intus corrupto minus valeat intelligere, ipsum tamen incompatible esse. Si enim pateret, ac corrumperetur, maxime id eueniret in fenestra, quae atque animalia cuncta imbecilliora sunt, & ad interitum propria. At is eo tempore viget plurimum. Vel si in vltima & quasi iam precipitata etate imbecillior videatur ad operandum, ne inde quidem licet colligere eum passum esse. Quia aliunde nasci potest. Nempe quod phantasia, sine qua dum est in corpore non operatur, letum & corruptum sit organum. Etenim vel sensus ipse imbecillior tunc est. Non quod laesa fuerit & corrupta anima (ea quippe indiuidua substantia est, quae per partes corrumpi non potest, sed aut extinguitur tota, aut integra tota est) verum quod organum passum sit, ac penè dissolutum. Et ideo si senex acciperet oculum iuuenis, solumque mutaret organum; videret ut iuuenis, & exquirit, ut antea, & perfecte operaretur. Quatenus verò ex hoc colligatur, intellectum, non sensum, a corpore separabilem esse, & aeternum; eo loco satis declarauit. Nunc satis fuerit dicere, sensum per se quidem incompatible esse, at patibilem & corruptibilem per organum; patiente scilicet & corrupto organo, in quo is est. Corporea enim & organica vis. At intellectus neque per se, neque per organum; siquidem organo nullo vitur.

Atque illud etiam addere; Philosophum hic naturam & essentialem intellectus differentiam exponendo, simul etiam de intellectu potestate dicere. Quoniam is puram, & sinceram intellectus naturam habet. Reliqui siue habitu, siue actu considerentur; quidpiam addunt, quod accidentarium est & aduentitium; incompatible esse, intellectui omnino conuenit, ut intellectus est. Esse autem susceptibilem formarum, & potestate omnia, nihilque actu eo-

rum, quae intelligenda sunt; intellectum iam potestate significare videntur. Sed tamen eatenus credendum est de illo egisse Philosophum, quatenus puram intellectus naturam habet. Non inquam, proponendo sibi de intellectu potestate agere, sed de intellectu natura absolute considerata. Quae quia potestate est ad intellectilia, propterea de intellectu potestate egit, non quatenus potestate est; sed quatenus ipsa intellectus natura. Quare quaecumque de intellectu potestate dicuntur, de intellectu per se & simpliciter considerato deinceps erunt accipienda. Ut diuisio intellectus in intellectum potestate, habitu, & actu, diuisio sit in intellectum secundum suam naturam per se consideratum; & in intellectu, cui quidpiam accesserit, habitu, aut actu.

TEXTVS.

*Anaxagorae. ἐνὶ πάντων τοῦ ἀμύθητον, ὡς αὐτὸ φύσει ἀταξία ἔχει, ἢ κατὰ τὸ πᾶν διὰ τὴν ἴσ᾽ ἡμετέραν. παρεμφασιεὶ ὄφρα ἴδῃ καλλεῖ τὸ διήπειον, ἔτι ἀπεφραδίαι.*

*Quare necesse est, cum omnia intelligat, non mixtum esse, ut inquit Anaxagoras, ut dominetur: hoc autem est ut cognoscat. Alienum enim, si proprie appareat, prohibet & obstruit.*

COMMENTARIVS LXXIV.

**Q**uod intellectum dixit potestate esse intellectilia omnia, actu autem nullum; maxime quidem & potissimum ad intellectus naturam ostendendam dictum est. Sed tamen tacite etiam fortasse voluit Philosophus Empedoclis & eorum sententiam damnare, qui, ut in 1. lib. commemoratum est, simile inquebant cognosci simili: & ideo intellectum, ut cognoscat omnia, ex omnium elementis & principijs constare. Aristoteles contra ex eorum nullo, sed potius velut potestatem quadam ad illa omnia esset & ideo cognoscere omnia; quia cum cognoscere sit rei cognita formam suscipere, formis omnium spoliatus omnes potest admittere. Hoc verò nunc multo magis confirmat; Empedoclis opinioni eam, quae fuit Anaxagorae, quasi opponens, & ut intellectus naturae magis consentaneam anteponeus. Is cum materiale rerum principium infinitatem quadam similitum partium posuisset, resque omnes earum partium congregatione fieri, permissione constare, segregatione interiore affirmasset: intellectum adiunxit, qui partes illas congregando & segregando, variisque modis permiscendo, omnium, quae in natura subsistunt, parens esset & efficiens causa: itaque, cum cetera omnia essent permista, solus intellectus impermissus esse dicebatur, ut mixtioni dominari ceteraque miscere posset. Sententiam hanc Aristoteles partim reprehendit, partim non partim commendauit.

Tria omnino reprehendit. Duo in primo libro Physic. ac rursum in tertio eiusdem operis libro, & in tertio de Caelo, & primo de ortu & interitu, infinitatem scilicet illam similitum partium, generationisque modum per congregationem & segregationem. Et tertium in octauo Physic. tex. 15. intellectum non ab omni aeternitate congregationem & segregationem aggressum fuisse. Laudauit autem in primo Metaphysic. quasi quae propius ad veritatem accesserit.

FFFF

*Intellectus natura essentialis*

*Anaxagora opinio de principio*

cesserit. Tum quòd præter materialem, efficientem quòque causam potuerit.

Neque casu, sed mente quadam, mundum administrari dixerit. Quod sibi quòque, cum primum audiuit, maximè placuisse, quòd ita optimè omnia disposita fore viderentur; testatur apud Platonem Socrates in Phædone. Tum verò quòd in materiali item principio naturam primæ materiæ quoquo modo adumbravit. Ac rursus hoc loco & in octavo Physic. tex. 37. plurimum commendavit, quòd intellectum impermissum & incorporeum fecerit; vt similibus omnibus partibus velut materiæ dominari maximè eafque modis omnibus versare ac permiscere posset.

Intellectus ut impermissus.

Verum quod primum Philosophus asserit necessarium esse intellectum impermissum esse, ex superioribus sine dubio colligitur. Sed cum duo dixisset: Alterum intellectum imparibilem esse: Alterum formarum susceptivum esse: Themistius & Simplicius ad posteriorem propositionem referunt. Atque non permittum comparatione formarum intellectum interpretantur. Quali probetur, eum cum illis permittum non esse, hoc est nullam earum habere actu, quòd intelligat omnia atque omnium formas suscipiat. In quam sententiam nova extat Antonij Bernardi interpretatio in vndecimo de singulari certamine libro sect. v. vj. & vij. Is eodem modo impermissum exponens, Philosophum dixit ad intellectus imparibilitatem probandam accepisse, eum esse intellectum formarum susceptivum. Et quoniam hoc negatum fuisset à Platone, primum ita probatum fuisse. Intellectus intelligit omnia, id est opposita, vera & falsa: nullas igitur habet à natura infinitas formas, quemadmodum inquebat Plato. Etenim si quas haberet, sanè haberet veras: non igitur posset contrarias & falsas intelligere. Siquidem hæc simul cum veris esse nequeunt; nec veræ, quæ naturales essent, abijci possent. Vnde in tex. 6. mox inquit colligi, eum cum corpore permittum non esse. Quia si organum corporeum haberet, vniuersas formas non posset suscipere, sed singulares solum, vt sensus.

Acuta nimirum & subtiliter excogitata interpretatio, sed minime accommodata. Primum quia Aristotelem frustra, & absque necessitate à propositionis sibi propositæ probatione ad infinitas intellectui species digredientem facit. Præsertim cum certius & proprium magis medium posset accipere. Deinde nulla hæc Platonis mentio, nulla oppositorum, nulla veri aut falsi. Tum verò recipere aut habere infinitas rerum species imparibilitati aut immortalitati nil obest. Et Plato, qui species illas infinitas posuit, immortalitatis ubique assertor est. Sapientissimique Theologi nonne species omnium rerum separatis mentibus à Deo infinitas fuisse tradiderunt? Postremo homonymiam in argumentationibus eandemque vocem alio significato in antecedenti, alio in consequenti usurpatam non tolerant Dialectici. Maximo igitur vitio Aristotelis Argumentatio laboraret, si impermissum hoc loco significaret non habere formas, & post inde deduceretur esse impermissum cum corpore.

Ego igitur omnino fecus interpretabor: quòdque hic accipitur, Intellectum impermissum esse, ad priorem illam potius propositionem (intellectum imparibilem esse) quam sine probatione acceperat, eratque ad persuadendum difficilior & propriam

Intellectus differentiam continebat, omnino raram. Nam posterior quoquo modo probata videtur, vbi dictum fuit, intelligere esse sicut sentire, id est, vt se habet sensus ad sensilia. Sentium autem sæpè iam declaratum fuerat nullam sensuum formam actu habere posse. Nunc autem impermissum dici comparatione corporis & materiæ, probatur intellectum imparibilem esse euique differentiam demonstrari; Intelligas primum ex Anaxagore testimonio, quo vitur. Is enim intellectum impermissum dicebat, cum materia partibusque sensuum, quas mouebat. Deinde ex tex. 37. libri octauo Physic. vbi eandem hanc Anaxagore sententiam habet, eum ait rectè dixisse, intellectum imparibilem impermissum esse; & rursus in primo huius operis libro tex. 34. solum illum affirmasse, intellectum imparibilem esse, nihilque cum cæteris commune habere. His enim in locis imparibile & impermissum coniungens, aperte declarat, quòd impermissum hoc loco significet: hæcque probatio cum imparibili paulò ante nominato communienda est. Ac rursus non multo post in tex. 6. impermissum hoc interpretabitur impermissum cum corpore. Et in tex. 12. quòd nulli quiddam habet commune.

Sic ergo ratiocinatur. Intellectus cum corpore permittum non est, quòd a corpore abianctum est & separatum neque cum eo permittum, impossibile est intellectus ergo imparibilis est. Huius argumentationis assumptio à quouis facillè admittitur, qui passionis, mutationis, & interitus principium & causam intellexerit esse materiam, quæ constantia corpora. In propositione autem non dixit, Intellectum non esse permittum cum corpore, sed absolute non esse permittum, Velut eam Anaxagore testimonio confirmare posset; quia ita loquutus fuerat, cæteris infinita partium permittione consistere, intellectum verò permittum omnino expertem esse, nec cum alijs quiddam commune habere. Vel possit esse Empedochi sese opponens, qui ex rerum omnium inijs permittum cum dixerat, vt omnia intelligeret. Non corpoream tamen, nec organiceam virtutem intelligendam esse; ex comparatione sensuum in qua versatur, manifestum est. Nam vt imparibilem dixit comparatione sensus; quòd non ledatur nec corrumpatur, vt sensus; ita eiusdem comparatione non permittum cum corpore, hoc est non virtutem corporea & organice appellandus fuit.

Neque vero efficax magis probatio fuisset, si intellectum accepisset nec esse corpus, nec virtutem corpoream, vt quispiam fortasse credat, eo permotus argumento; quòd passio aut corporis est, aut eius, quòd corporeum existit, hoc est inhaerens aut pendens à corpore. Etenim corpus Aristoteles prætermisit: aut quia si non est virtus corporea, multò minis fuerit corpus, aut quia meminit se initio superioris libri probasse animam non esse corpus. Indeoque vidit intellectum, quem animæ partem dixerat, iam probatum esse corpus non esse, solumque disputari posset. Num virtus corporea sit, quemadmodum sensus est, ac animæ partes cætera hæc tenus explicatæ. Deinde facultatem animæ, quæ qualitatem quandam significat, nullus dixisset esse corpus, corpoream fortasse quispiam. Vel non permittum dixit, vt abstractum penitus & immaterialem significaret, non vt caritas

ceteras formas & partes animæ. Sic enim Anaxagoras etiam partes similes ponens materiam, intellectum dixerat non permittum; hoc est à materiâ abstrahum, vt illi toti dominaretur. Et Auerroës non permittum interpretatur est neque corpus neque virtutem in corpore: & Philoponus à materiâ impermittum intellectum.

Porro permittum non esse cum corpore aut materia (nomine enim corporis non hoc corpus organicum, quod animæ subiectum est, significatur; sed corpus quoduis: neque nunc intellectus asseritur separabilis esse ab hoc corpore, in quo est: sed esse separatum secundum suam substantiam ab omni corpore, hoc est immaterialis & incorporeus: vnde mox immortalitas & separabilitas ab hoc item corpore deducitur) hoc argumento demonstrat. Intellectus intelligit omnia, hoc est intellectum omnium formas suscipit: siquidem intelligere, vt antecedens ostendit sermo, est intellectum formas suscipere. At quidquid recipit aliud, caret necesse est eo, quod recipit. Intellectum igitur necesse est intelligendis omnibus rebus spoliatum esse diuersamque à corporibus omnibus & materiâ atque accidentibus corporeis & materialibus naturam habere. Tantum abest, vt verè dixerint illi, qui cum ex rerum omnium principijs constare voluerunt, vt omnia intelligeret. Illuc enim argumentationem hanc pertinere credendum est. Sanè intellectum intelligere omnia constat, nec alia indiget probatione, quam omnium hominum testimonio, quorum vnusquisque in seipso ita experitur. Recipiens autem carere eo debere, quod recipit; ab Aristotele hoc loco non tam dicitur, quam probatur; non inquam patentibus & his ipsis aperitis verbis, sed ipsius probatione asseritur. Certe ad probationem satis fuisse, cum testem adducere sensum, in quo antea dictum fuerat, eodem modo rem habere, quippe oculus sine colore idcirco est. Tum vero primam corporum omnium materiam, quæ non eas, quas habet, sed illas, quibus caret, formas suscipit; nec naturalibus subijcitur mutationibus, nisi adiunctam habeat priuationem. Ac demum ea omnia quæ, siue in natura, siue in artibus receptura quidpiam sunt, sed causam maluit adferre, cur & in sensu & in intellectu, & in materia, omnino que rebus omnibus sic habeat.

Causa est, quoniam quod est intus, siue in sensu, siue in intellectu, siue in materia, siue in quacumque re; prohibet, ne ingrediatur alienum; eique, quod extra est, aditum intercludit & obstruit. Quare vt Anaxagoras intellectum posuit cum ceteris rebus nequaquam permittum; quia si permittus esset, dominari omnibus omnemque mouere non posset. Impediretur enim ab illis, cum quibus esset permittus. Ita profectò vt omnes intelligat, ab omnibus separatus diuersaque naturæ esse debet. Sic enim ad meliorem sensum Anaxagoræ sententiam trahit. Certe quantumcumque conseruet sensus, sentire idcirco nequit seipsum; nec eam corporis partem, in qua existit; quia corporeus est. Si igitur intellectus corpora omnia corporeaque accidentia intelligit, corporea & materialis virtus minime ipse est. Si sensus organum qualitate quapiam

A fuerit occupatum, ceteræ non sentiuntur vt iherici oculus & febricitantis lingua in secundo libro antea commemorata satis superque confirmant. Et materia, si formam aliquam habeat, suscipere alias non potest, quin priorem illam abijciat (si nimirum aduentura contraria sit, aut terminus materiam finiens atque vltimò in certa specie perficiens: alioqui nec qualitarum nec elementorum formas tractas, nec partium formas in organico corpore voluit aduentum formæ misti aut animæ prohibere nec intellectilem formam in intellectu susceptam impedimento esse, ne recipiantur alia) & intellectus, si cum corpore vilo ita foret permittus, vt illius naturam imbuisset, vt aqua aut terra, calidi aut frigidi; id veluti propè illi apparens aliorum nimirum cogitationem prohiberet: ac materia rerum omnium materialium intellectionem impediret.

Neq. ab hac interpretatione discessisse putes Philoponum, cum eam dixit esse Philopoli deductione, si intellectus esset ex materia, ipsam non intelligeret. Nam etsi id de illa ipsa materia ita fortasse queas accipere, vt non posset se supra seipsum conuercere, sicut sensus non sentit seipsum: nomine tamen materia materialia cetera constat interpretem eum significasse. Tum argumento tactus, quo vritur, sibi simile calidum non sentiens. Tum Anaxagoræ testimonio; qui propterea intellectum ex similibus partibus non permittit, vt omnibus dominaretur. Tum Aristotelis probatione; quia intus existens atque alienum.

Vniuersa tamen hæc probatio de primario intellectu obiecto intelligenda est. Etenim, vt post dicitur, seipsum quoque intelligit; nec tamen seipso potest spoliatus esse. Suam item intellectionem percipit; quam tamen in seipso habet. At nequum primario, sed secundario; ex aliorum scilicet intellectione. Nam dum intelligit cetera, suam potest intellectionem animaduertere, eamque ac seipsum intelligere. Primario igitur obiecto, hoc est ceteris omnibus rebus carebit, vt omnes intelligat, sicut oculus colore omni, vt omnes aspiciat. Non item secundario, quod in seipsum conuersione cognoscitur. Quippe nec oculi quantitas illum prohibet, ne aliorum obiectorum quantitatem videat, sicut impedit color aliorum colorum sensationem. Etenim quantitas secundarium, non primarium, obiectum est.

Tandem quod ad Anaxagoræ testimonium attinet, magis ad rem fuerit, maioremque sententiam suam confirmandi vim præbebit Aristoteli; si non tanquam de intellectu separato ac diuino, vt Simplicius, & S. Thomas crediderunt: sed tanquam de anima, vt Themistius videtur intellexisse, loquutum eum fuisse dicamus. Nam etsi à materiâ illum separatum & impermittum poneret, vt materia toti dominaretur, eamque modis omnibus moueret: eandem tamen dixit esse animam, atque in animalibus omnibus inesse: eoque velut natura vna vsus est; vt in tex. 24. 31. primi huius operis libri retulit Aristoteles. Maiusque ex hoc intellectu argumentum peti potest, qui tum anima sit, tum impermittus; quam ex diuino & separato, qui altioris multo ordinis est, nec vllam animæ vim habet.

FFFF ij

*Vt intel-  
lectus na-  
cero de-  
beat ob-  
iecto in-  
tellecto*